

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS

BOLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 170915c

Friday 15.09.2017

Letter of the Holy Father to the papal legate for the celebration of the eighth centenary of the consecration of the Basilica of the Cistercian Abbey of Casamari

On 19 August, His Eminence Cardinal Secretary of State Pietro Parolin was appointed as Papal Legate for the celebration of the eighth centenary of the consecration of the Basilica of the Cistercian Abbey of Casamari, scheduled to take place on 15 September 2017.

The Cardinal will be accompanied by a mission composed of the following ecclesiastics:

- Don Ugo Gianluigi Tagni, abbot vicar general of the Congregation of Casamari;
- Rev. Fr. Sebastiano Paciolla, O.Cist., under-secretary of the Congregation for the Institutes of Consecrated Life and the Societies of Apostolic Life.

The following is the Holy Father's Letter to the Cardinal Secretary of State:

Letter of the Holy Father

*Venerabili Fratri Nostro
PETRO S.R.E. Cardinali PAROLIN
Secretario Status*

Octingenti transeunt anni ab illo die quo Summus Pontifex Honorius III, Decessor Noster rec. mem., adstantibus Cardinalibus, Episcopis et fidelibus, in sollempni liturgia Basilicam consecravit Casamariensem, sanctis martyribus Romanis dicatam Ioanni et Paulo nec non Beatae Deiparae et Virgini Mariae. Sacra illa aedes saeculis decurrentibus in provincia potissimum spirituali, morali et cultus divini magni ponderis exstitit non solum in terris circumstantibus, sed etiam in tota Italia media et meridionali. Venusta eius architectura animum monachorum Cisterciensium revelans, magnificum constituit testimonium eorum precis, cantus, meditationis

atque apud multos peregrinos et visitatores singularem suscitat admirationem.

Fausta ergo occasione memorati iubilaei data, dilecti sodales Congregationis Cisterciensis Casamariensis evangelici itineris elementa altiore usque modo perscrutantur, Domini vocem diligenter auscultant, spirituali ratione fideles abbatiam invisentes sequuntur ut omnes clare Divinam providentiam misericordiamque experiri possint. Die autem XV proximi mensis Septembris sollemnitas agetur in memorata sacra aede celebratio, signum gratitudinis erga Deum omnipotentem ob tanta Eius beneficia quae saeculorum decursu fidelibus ibidem orantibus largiri est dignatus. Quapropter Reverendus Dominus Eugenius Romagnuolo, Abbas Praeses Congregationis Cisterciensis Casamariensis, humanissimas Nobis litteras scripsit quibus Nosmet Ipsos ad celebrationem hanc invitavit. Grati omnino hac de invitatione, quam in corde Nostro tenemus, decernimus tamen eminentem Virum illuc mittere qui Nostras vices Casamarii gerat Nostramque erga Christi discipulos ibi commorantes et adstantes dilectionem significet.

Ad Te ergo, Venerabilis Frater Noster, qui munus Secretarii Status studiose exerves, mentem Nostram vertimus Teque hisce Litteris LEGATUM NOSTRUM nominamus ad octavam centenariam memoriam consecrationis Basilicae Casamariensis, quae memorato die Casamarii sollemniter perficietur.

Praeclaro illo in templo sollempni praesidebis Eucharistiae atque omnes adstantes, sacros Pastores, presbyteros, religiosos viros ac mulieres, christifideles laicos, sermone tuo ad diligentiores usque Christi vitae imitationem cohortaberis: oportet enim ut novis viribus novaque diligentia peculiarem dilectionem Ecclesiae et Evangelii demonstrent atque fidei virtute cotidie ardeant. Singularem insuper salutationem Nostram dilectis monachis Cisterciensibus transmittes; exoptamus omnino ut omnipotens Deus hanc monasticam Congregationem auxiliis suis foveat ita ut, vestigiis suos antecessores secuti, tum in sanctificatione adipiscenda tum in sacro ministerio explendo uberes iugiter fructus colligant (cfr Pius PP. XII, Litterae apostolicae *Cum ex Summi Pontificatus*, AAS 35 [1943], 392).

Nos autem Te, Venerabilis Frater Noster, in tua missione implenda precibus comitabimur. Denique Benedictionem Apostolicam, caelestium donorum pignus, libentes Tibi impertimur, quam omnibus celebrationis participibus rite transmittes.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXV mensis Augusti, anno MMXVII, Pontificatus Nostri quinto.

FRANCISCUS